

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahlina Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula XXIII. De Tumoribus Tunicatis, Nempe Meliceride, Atheromate,
Steatome.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197684

4. *Dieta selecta* majoris est necessitatis in *mammarum* affectibus, lactis corruptionem foventibus, quam in aliis unquam. Augmentum enim immediate quasi accipit læsio per chylum vitiatum affusum.

TABULA XXIII.

DE

TUMORIBUS TUNICATIS,

NEMPE

MELICERIDE, ATHEROMATE,
STEATOMATE.

I. DIFFERENTIA.

Differunt tumores hi *saccati*, qui a Gallis *tumeurs enkistées* appellantur, sequente ratione:

1. *Meliceris* est tumor mollis. Unde ad motus digitis statim cedit, illis autem retractis pari fere celeritate recurrit. Continet materiam mellis consistentiam & fere etiam illius colorem referentem.
2. *Atheroma* est tumor quodam modo durior, & continet materiam *pultaceam*, *farinaceam*, *furfuream*. Derivatur ab *ἀθήρα*, *pulticula*.
3. *Steatoma* reliquos duritie superat, & continet materiam *sebo* similem. Derivatur a *σέας*, *sebum*. Germ. *Speck*. Beulen. Differt tamen a *struma*, cui duritie cedit, neque, sicut hæc, tam inæqualem habet tumorem.
4. Ceterum in hoc conveniunt tres hi tumores:
 - 1) Quod peculiari membrana, satis firma & tenace, quasi sacculo inclusi & ad veram maturationem inepti sint, a parvulo nodo incipiant, atque sensim & diu excrescant.
 - 2) In quavis corporis parte tumores hi cystici nascantur,
 - 3) In superficie sub cute lateant.
 - 4) Huc illuc quodammodo moveri possint.
 - 5) In *steatmate* & *atheromate* fibrillæ quædam intertextæ sint, quasi moveantur seu trahantur & vehementem sensum excitent.

II. CAUS.

II. CAUSSAE.

1. Causa *materialis generalior* est *lymphæ inviscatio*.
2. Causa *specialior* est *stasis lymphæ* hujus inviscatæ, in peculiari corporis parte.
3. Causa *efficiens* est ipsa circumspecta natura, quæ materiam talem membrana includit, ut ab affluxu & contactu reliquorum humorum defendatur, & tanto diutius sine corruptione in hoc sacculo delitescere possit.
4. Causæ *antecedentes*, lympham obviscantes, variæ sunt, inter quas principem locum habet *miasma venereum*.

III. PROGNOSIS.

1. Tria hæc tumorum genera non ita frequenter quidem occurrunt, minime omnium *atheromata*, contumacis autem re vera sunt indolis, & plurimum negotii Chirurgo facessunt. Medicamentis rarissime cedunt, & ad mortem usque perdurare solent.
2. Interea tamen per plures annos sine corruptione & periculo in sacculis suis delitescere possunt.
3. Hinc nisi tumor sit enormis, neque in loco maxime incommodo, tolerari potius, quam sectioni submitti solent a multis ægrotis, præcipue, quia doloris sunt expertes, & raro partium functionibus impedimentum afferunt.
4. Si post materiæ emunctionem *folliculus* non prorsus extirpetur, recidivam parit, aut si tantillum illius relictum fuerit, ulcus fistulosum diuturnum & fætidum inducere solet.
5. Membrana densa & tenax tam resolutionem hujus staseos, quam corruptionem impedit, & sic ex parte obest & ex parte prodest.
6. Quando autem materia contenta agilioris est indolis; uti in causis luis venereæ subinde esse solet, tum citius corruptio inducitur & membrana roditur.
7. Præcipue *melicerides* corrosivam indolem præ aliis citius exhibere & ossa arrodere observantur. Maxime si incongrue tractentur.

IV. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

1. *Interna* medicatio, uti sub *prognosi* jam dictum, parum quidem auxilii hic confert, possunt tamen corpus præparantia præmitti, inprimis si inquinamentum venereum hos tumores induxerit, vel iisdem supervenerit. In tali casu necessaria sunt antivenerea, quæ secundum

dum methodum & gradus differentiam tabula *medica de lue venerea* commendatam possunt applicari.

2. *Externe* sequente via incedendum est:

- 1) Si tumores hi adhuc sint recentes, resolutio & discussio illorum, licet anceps sit, tenetur per eadem resolventia topica, quæ præcedentibus tabulis jam allegata sunt, præcipue per *camphorata*, emplastr. *sap. Barb. camph. de cicuta camph. de ranis vigonis* cum mercurio aucto, empl. *diachyl. c. gumm.* item etiam per compressionem cum *lamina ferrea*.
- 2) Suppuratio uti intricatum est negotium, ita maturantibus nulla ratione respiciatur.
- 3) Quando obfirmati sunt tales tumores, efficacissimum & optimum est remedium, ut simul & semel *exseindantur*. Legi hic meretur *Severinus de recondita abscessuum natura*. Nempe incisio fit cruciatim, materia commodo cochleari e folliculo eximitur, & denique ipse folliculus extrahitur.
- 4) In *fovea* deinde conveniunt myrrhata, succinata, pauxillum *terebinth.* & *mastich.* in *ambitu* autem penetrantia discutientia, e.g. empl. *diachyl.* cum gummatibus bene solutis, cum *camphora* imbutis.

VII. CAUTELE ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Nonnulli auctores *septicum* præferunt *actuali incisioni* cum ferro. Sed his assensum non præbemus.
2. Ante *causticorum* applicationem materiam emolliendam prius commendant emplastris emollientibus.
3. *Musitanus*, educta materia, ad folliculum destruendum oblinat illum penicillo spiritu salis armoniaci vel oleo mercurii alibi leviter imbuto, usque dum æger dolorem persentiscat & sanguis appareat. Sed suspecta sunt corrosiva, neque iisdem indigemus, quia folliculi extractio sine his fieri potest.
4. Nonnulli tumores hosce superficiales *deligant*, sed hæc deligatio rarius locum habet, nempe in illo solo casu, quando tumor circa sui radicem seu centrum angustus & pendulus seu fastigatus & imminutus, circa peripheriam autem expansus est. Ceterum quia successive fit hæc operatio & toto hoc tempore multi dolores persentiscuntur, præferenda est *exscissio*.

5. Sa-

5. *Salivatio*, quam multi probant, non commendatur, nisi subsit causa venerea talis gradus, cui salivatio destinata est. Et licet in primis horum tumorum initiis resolutionem præstare possit, nulla tamen ratione violenta talis medicatio tali exiguo incipienti affectui, qui securioribus remediis superatur, adhibenda est. Decocta enim antivenerea sufficiunt.
6. *Decocta hæc antivenerea*, uti satis notum est, parantur e lignis & radicibus. Notandum autem, quod *radices* in affectibus *ulcerosis* majorem usum habeant, quam ligna, quæ tamen in vagis internis corruptelis non aspernuntur. *Succinata* utilissime etiam hic adhibentur.
7. Allegat *Stablius* exemplum de exitiali eventu puellæ sex annorum, *steatoma*, nucis juglandis magnitudinem ultimo referente, affectæ; quem tumorem primus Chirurgus maturantibus, emollientibus & tandem acerbis tractaverit, donec tandem rumperet, sed sine laudabili suppuratione, & frustranea subjuncta multa medicatione. Postea alterum Chirurgum *salivationem* adhibuisse, sed sine successu. Tandem viribus exhaustam & extenuatam mortuam esse. Et sic in ulcerascente tali statu tam mercurialia quam septica nocent.
8. Ceterum adhuc notandum, quod, si tumores hi obfirmati sint, plerumque etiam viscera interna talibus nodis obsessa reperiuntur, quemadmodum in cadaveribus sectis vidimus. Sic e. g. in adolescente 18 annorum defuncto sequentia detecta sunt:
- 1) *Duodeno* intestino magnum *steatoma*, gallinacei ovi ambitum æquans, ita collocatum incumbere, ut *venam portæ* & *ductum communem biliarium* comprimeret.
 - 2) *Mesenterium* innumeris exiguis talibus tumoribus, sebacea materia refertis, conspiciebatur, in *centro* autem *steatoma* erat, quod alterum magnum in duodeno magnitudine superabat.
 - 3) In *pulmonibus* multæ itidem glandulæ induratae & sebacea materia refertæ erant, & quidem e sinistro latere erant hæc tubera continuata & spisse coherentia cum illis, quæ per collum ad aures usque pertingebant, in dextro autem latere majora erant, in pectus autem non descendebant, sed sensim decrescendo ad humerum desinebant, integramque libram excissa ponderabant.